

Iohannes austru philosophus dicit: Omne corpus aut est elementum aut ex elementis compositum. Sed omnis compositio & generatio consistit ex quatuor elementis simplicibus. Quare oportet necessario vt lapis noster sit reductus ad primam materiam & originem sui sulphuris & Mercurij. Deinde diuidatur in elementa, alias depurari non potest nec comminui, nec etiam suæ partes minime possunt ingredi, nisi corpus eius diuisum fuerit in minutissimas partes.

Tunc enim bene purificentur eius partes, & per communes bene coniunguntur, & elixir quod quaeritur operatur. Nam experimentum destruit eius formam specificam, & nouam inducit speciem. Vnde post diuisionem elementorum non videtur ex eis quicquam nec tangitur nisi aqua & terra, quia aer et ignis nunquam videntur in nostro lapide nec eorum virtutes, sentiuntur nisi in purioribus elementis, quia rara & simplicia facta sunt, ita quod oculis corporalibus videri non possunt. Ille ergo lapis sic extractus sufficit tibi vt reducas eum ad simplicem suæ virtutis effectum.

Item quatuor in eo sunt elementa scilicet ignis, aer, aqua, & terra. Ibi quatuor principia sunt siue qualitates scilicet calidum, humidum, frigidum, et siccum, quorum principiorum duo sunt amica, et duo inimica,